



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BEFATANA*** IN GUINEA BISSAVIENSI NOVA
CONDITUR DIOECESIS BAFATANA Cum ad fovendam aeternam salutem gregis Dominici in Guinea Bissaviensi
eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petatum esset nuper ut in eadem Natione nova constitueretur
dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione
sunt praepositi, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Ioannis Pauli Gobel,
Archiepiscopi titulo Calatini in Campania atque in Guinea Bissaviensi Apostolici Nuntii, admotam postulationem
censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae
Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Bissagensi dioecesi
separamus territorium districtuum civilium, qui patrio sermone nuncupantur Bafatà, Gabù, Quinara, Tombali et Isola di
Bolama; ex eoque novam constituimus dioecesim *Bafatanam*, quam immediate subiectam Sanctae Sedi volumus atque
iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe
Bafatà atque paroeciale templum ibidem exstans, Deo in honorem Virginis Mariae titulo « Nossa Senhora da Graça »
dicatum, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae
praescipsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Ioannes Paulus Gobel, quem diximus, quique, re acta, curabit
documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique
Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo tertio mensis Martii, anno Domini bismillesimo primo,
Pontificatus Nostri vicesimo tertio.*

ANGELUS card. SODANO	CRESCENTIUS card. SEPE
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardo Erriquenz, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 7, pp. 424-425 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana